

M
XIII

199
193



F

anf.

SS

THESES PHILOSOPHICÆ
DE
NATURA ACCI-
DENTIS,

Quas

D. T. O. M. A.

Consensu Amplissima Facultatis Philosophicæ

PRÆSIDE

M. CONRADO TRUMPHIO
Goslariense

IN ILLUSTR. ACADEMIA JULIA
publicè examinandam proponit

HENRICUS Bengelstorff /
Lubecensis

In Fulei majori auditorio

die III. Septemb.

ANNO reparatæ Salutis clæ Ioc LIX.



HELMESTADII,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO

Excuderunt MARTINUS Vogel & JOHAN GEORG Täger.



VIRIS

PER QUAM REVERENDIS, CLARISSIMIS,
PRÆSTANTISSIMIS ATQVE
ERUDITISSIMIS,

Dn. M. SIMONI STRUVIO,

Ministerii Goslariensis Seniori, Pastori ad
DD. Cosmæ^æ Damiani optimè merito,

Dn. JOHANNI TRUMPHIO,

Pastori ad D. Stephani fidelissimo,

Dn. FRANCISCO HAGIO,

Scholæ Goslariensium Rectori meri-
tissimo,

Dn. M. JOHANNI ZIGEN-

MARIO, Scholæ ejusdem Conrectori
fidelissimo,

*Fautoribus, Parenti, Præceptoribus, ac Dominis
suis omni observantiæ & filialis amoris cultu ætatem pro-
sequendis*


hanc Disputationem

grati animi declarandi

ergò

offert

PRÆSES & AUTOR.



ΣΥΝ ΘΕΩ,

DE ACCIDENTE

§. I.

Quantâ cum difficultate nostra cognitio sit conjuncta, vel inde comparet, quòd in tritissimis sæpius hæsitandum nobis sit. Enimvero ut unum tantum hoc exemplum adducamus, quid tritius, quàm omne Ens esse vel Substantiam vel Accidens? Quod si tamen quænam utriusque sit ratio & natura inquirere accuratiùs velis, ibi vero plurimum obscuritatis sese offert: unde etiam homines doctissimos in varias sententias abiisseprehendas.

II.

Nec verò isthæc inquisitio inutilis & otiosa est censenda. Etenim quid incommodi ex ejus rei ignoratione nasci possit, vel unicū Viri cæteroquin doctissimi FLACII exemplum comprobatur: quem quidem in tantum errorem, ut statuerit, peccatum originis esse ipsam hominis substantiam, nihil aliud præcipitavit nisi doctrinæ hujus ignorantia.

III

Non itaque abs re fore existimavimus, si in difficili quidem illâ, utilissimâ tamen doctrinâ ingenii vires periclitaremur, summorumque Philosophorum de naturâ



Accidentis sententias proponeremus, & quid iis veri falsive subfit, inquireremus.

IV.

Primò omnium autem ambiguitas accidentis evolvenda venit, ne ipsa nobis in progressu imponat. Ex lectione vero Aristotelis apparet, Accidens interdum sumi pro nudâ alicujus rei apparentiâ. Hoc modo Sophistæ ex accidente tantum scire dicuntur, & scientia ipsorum tantum apparens audit I. post. c. 2. & IV. Met. c. 2. II. Accidens interdum sumitur, prout contradistingvitur illi, quod est per se; quâ ratione causa aliqua per accidens appellatur I. post c. 4. V. Metaph. c. 2. III. Illud etiam dicitur per accidens fieri, quòd ordinariis causis destituitur, & rarò evenit. Ita arbores hyberno tempore per accidens florere dicuntur, siquidem hoc perquam rarò usu venit. Sic accidens dicitur, *quando quis plantæ scrobem fodiens thesaurum invenit.* V. Metaph. c. 30. IV. Peculiari modo Accidens sumitur in Elenchis Sophisticis, ubi illud Accidens alicujus appellatur, quod ita de aliquo prædicatur, ut cum eo ex parte sit idem, ex parte ab eo diversum, quemadmodum animal vocatur accidens hominis, quia animal est quodammodo idem cum homine, quia aliàs de eo affirmari nequit, sed etiam ex parte ab eo diversum, quia sub se comprehendit brutum, quod homo sub se non comprehendit. V. Accidens accipitur, quatenus opponitur reliquis quatuor prædicabilibus, & à Porphyrio definitur, *quod adest & abest sine subjecti corruptione*, ab Aristotele verò I. Top. c. 4. *quod contingit eidem inesse & non inesse*, quod aliàs Accidens prædicabile vocatur. VI. Sumitur pro alterâ Entis speciei substantiæ contradistinctâ, & aliàs Accidentis prædicamentalis venit nomine.

V. Nos

Nos reliquis omnibus missis de Accidentē prædicamentali erimus tantū solliciti. Naturam illius genericam quod attinet, illa ex superiore thesi patet. Eo ipso enim, dum species Entis esse dicitur, Ens illius genus esse nemo non videt. Verū quænam postea differentia locū obtineant, & accidens à substantiâ discriminent, id est, quod hodiernum doctissimorum Virorum ingenia torquet.

VI.

Sunt enim 1. qui putant in eo Accidens differre à substantiâ, quod accidens non nisi in alio reperitur: substantia verò per se existat, quam sententiam fovent Conimbricenses. Verū non ab omnibus incommodis iudice B. Slevogto Disp. iv. §. 6. doctrina illa est immunis, siquidem inter alia hoc obstat, quod formæ materiales hoc modo forent accidentia, quippe quæ nunquam nisi in alio existunt.

VII.

Itaque 2. alij autumant Accidens esse Ens in alio subsistens, cum substantia sit ens per se subsistens. Quæ sententia à priori in eo abit, quod aliud sit existentia, aliud subsistentia, siquidem aliquid potest existere, ut tamen non subsistat, uti humana Christi natura, quæ quidem existit, propriâ autem subsistentiâ destituitur.

IX.

Sed nec hæc suis carent difficultatibus; imò illis improbabiliora videntur, si vox subsistendi propriè & in rigore sit accipienda, prout dicit substantiale complementum naturæ ex se incompletæ. Etenim dantur quædam substantiæ, quæ per se non subsistunt, e. g. unio materiæ & formæ in composito, & subsistentia in naturâ singulari



gulari & completâ ; a'ia incommoda ut sicco pede præteream.

IX.

Alij itaque ut hanc sententiam quoquo modo defenderent, subsistentiam explicarunt per dependentiam, ut substantia appelletur, quæ non dependet à subjecto, accidens autem, quod à subjecto dependet. Verùm illi explicationi obstare videtur, quòd substantiæ nonnullæ reperiantur, quæ à subjecto dependent, ut formæ materiales.

X.

Alijs placet hoc ipsum per inhærentiam declarare, ut illud vocetur accidens, quod alij inhæret, id autem esse substantiam, quod alij non inhæret. Sed non desunt Viri doctissimi, qui hanc ipsam explicationem obscuritatis accusant, quòd ambiguum sit, quid per inhærentiam denotetur.

XI.

Deniq; 3. nonnulli substantiæ naturam in eo collocant, quòd illa substet accidentibus, accidens autem substantiæ insit. Verùm nec hæc vera inter substantiam & Accidens est differentia, quia substare accidentibus non omni convenit substantiæ, uti patet exemplo Dei, qui est substantia, nulli verò substat accidenti. Deinde reperiuntur etiam accidentia, quæ alijs accidentibus substant. Ita quantitas substat qualitati, qualitas durationi & ubicationi. Si autem rò substare accidentibus differentiam substantiæ constitueret, hæc accidentia forent substantiæ, quod absurdum.

XII.

Mendoza disput. Metaph. x. sect. 2. substantiam illam esse putat, quæ est primus conceptus rei Physicus.

Et

Et sic accidens erit, quod est extra illum primum conceptum. Verum nec huic calculus adijci potest 1. quia in substantia sumitur pro essentia, non autem prout contra-distinguitur accidenti prædicamentali. 2. eadem definitio substantiæ Accidenti quoque tribui potest. Quando enim dico Superficies est extensa secundum longitudinem & latitudinem, ibi utique primus conceptus Physicus exprimitur.

XIII.

Rodericus de Arriaga aliud discrimen inter substantiam & Accidens assignat, *ut substantia sit, quicquid intrinsecè primam rem constituit, nomine primæ rei intelligendo illud, quod per se existit, & est radix cæterorum, & ante se aliam sui radicem non habet. Accidens autem vocat, quod primam rem, in quâ est, non constituit, sed est extra ejus conceptum.*

XIV.

Sed nec hæc opinio à dubitationibus est vacua, nec dubia quæ antea allatas sententias feriebat, tollit. Hoc enim modo forma materialis non maneret substantia, siquidem illa ante se radicem sui habet nempe materiam, à quâ in esse fieri & operari dependet.

XV.

Quæ cum ita sint, fortassis consultius fuerit, si veterum Aristotelis præprimis & doctissimorum ejus interpretum doctrinam secuti fuerimus, & quid contra eam afferri possit diluerimus.

XVI.

Ut verò hoc in negotio ritè progrediamur, ipsum rerum naturalium ordinem spectemus. In eo autem sequentia deprehendimus. I. quicquid in rerum naturâ est, illud vel solitariè & suis viribus potest constare, vel

vel non potest sed semper in alio quodam reperitur. Quæ
 suis viribus consistunt, ut non alio quopiam fulcro indi-
 geant, illa esse τὸ δέ τι determinatam & definitam substan-
 tiam nullum est dubium. Si II. porro ea attendimus, quæ
 in alio reperiuntur, experimur ea bifariam se habere. Vel
 enim sunt aliquid ejus, ut ad ipsum εἶναι illius pertineant
 (uti se habent substantiæ secundæ respectu primarum)
 aut certè illud compleant (uti se habet subsistentia respectu
 substantiæ) aut illo tanquam fulcro, cui innitantur, indige-
 ant (uti ignis indiget alio corpore:) vel non sunt aliquid
 ejus, sed aliud quid ab eo in quo existunt, quod ipsum
 quocumque modo afficiunt, & de ipso prædicantur,
 quod Aristoteles appellat κατ' ἄλλας κατηγορεῖσθαι I. Phys.
 c. 3. & 4. I. Metaph, c. 7. Quæ priori modo se habent, ea
 adhuc substantijs esse annumeranda, quæ verò postetiori
 modo, in accidentium esse numero facilè liquet.

XVII.

Hisce convenit cum ijs, quæ habet liber Catego-
 riarum cap. 2. τῶν ὄντων τὰ μὴ κατ' ὑποκειμένους πρὸς
 λέγεται, ἐν ὑποκειμένῳ δὲ ἕθενί ᾖσιν. τὰ δὲ ἐν ὑποκειμένῳ
 μὴ ᾖσι, κατ' ὑποκειμένους δὲ ἕθενός λέγεται. τὰ δὲ κατ' ὑποκει-
 μένους τε λέγεται, καὶ ἐν ὑποκειμένῳ ᾖσιν τὰ δὲ οὔτε ἐν ὑποκει-
 μένῳ ᾖσι, οὔτε κατ' ὑποκειμένους πρὸς λέγεται.

XIIX.

Ubi ex communi interpretum sententiâ Aristote-
 les per priorem Entium classsem intelligit substantias uni-
 versales sive secundas, quæ quidem de subiecto aliquo
 dicuntur, sed in subiecto nullo sunt: per alteram classsem
 intelligit accidentia singularia, quippe quæ in subiecto qui-
 dem sunt, ut hæc grammatica, sed de nullo subiecto dicun-
 tur, id est, essentialiter prædicantur, nam hoc album de nullo
 essentialiter prædicatur: tertiam classsem constituunt acci-
 dentia

dentia universalia, quæ & de subjecto dicuntur, & in subjecto sunt, ut scientia quæ est in anima tanquam in subjecto, ac dicitur de Physica tanquam de subjecto: quartam autem classem absolvunt substantiæ singulares sive primæ, quæ neque de subjecto dicuntur, neque in subjecto sunt.

XIX.

Ex quibus omnibus apparet, accidentis differentiam specificam *ἐν τῇ ὑπαρξει ἐν ὑποκειμένῳ* venire collocandam. Verùm enim verò ut hæc omnia eò clariora reddantur, & à dubijs, quibus subinde petantur, liberentur, uberiùs sunt exponenda.

XX.

Ante omnia igitur declarandum, quid sit *esse in subjecto*. Neque enim existimandum est, ac si *esse in aliquo* & *esse in subjecto* pari passu ambulent, cùm illud latissimè pateat, hoc autem, uti jam sumus declaraturi, non nisi accidentibus tribui possit.

XXI.

Aristoteles enim iv. Phys. c. 4. octo modos recenset, quibus aliquid dicitur esse in aliquo. 1. est aliquid in aliquo, ut pars in toto v. g. manus aut pes in corpore. 2. ut totum in partibus. 3. ut species in genere, & omne superius in inferiori, ut homo in animali. 4. ut genus in specie, & omne superius in inferiori, ut animal in homine. 5. ut forma in materiâ, ut animâ in corpore. 6. ut in primo movente vel causâ efficiente, ut sanitas in Medico. 7. tanquam infine, quâ ratione avarus dicitur esse totus in divitiis corradendis. 8. ut in vase & loco, ut vinum in dolio.

XXII.

Hisce Ammonius & Simplicius citante *B. Sthalio* in Instit. Log. adhuc tres superaddunt, utpote qui quintum in duos dividunt. Cùm enim forma sit duplex, substan-

B

tialis



tialis & accidentalis, hinc illum modum partiuntur, & primum inessendi modum constituunt, quo forma substantialis dicitur esse in materiâ, posteriorem verò, quo forma accidentalis est in subjecto. Deinde etiam octavum modum secant, ita ut unum in altero dicatur esse tanquam in vase: vel ut unum dicatur in altero esse tanquam in loco. Quibus omnibus adjiciunt undecimum modum, quo aliquid dicitur esse in tempore, ut in hoc die, in hoc anno.

XXIII.

Cæterum ex his omnibus unicus tantum huc spectat, nempe quo forma accidentalis dicitur esse in subjecto. Quid autem eo modo dicatur esse in subjecto, declarat liber Categoriarum: *ἐν ὑποκειμένῳ δὲ λέγω - ὃ ἐν τινὶ μὴ ὡς μέρος ὑπάρχει, ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τῷ ἐν ᾧ ὄντι.* Unde patet tria in illa definitione requiri 1. ut revera alicui insit 2. ut non insit tanquam pars 3. ut absque eo, cui inest, existere non possit.

XXIV.

Multos equidem huic definitioni jugulum petere novi, dum alij eam justo angustiores, alij verò justo prolixiores proclamant. Qui prius asserunt iis nituntur fundamentis 1. quòd ea tantum competat accidentibus inseparabilibus, cum separabilia possint esse sine eo, in quo sunt. 2. quòd accidentia videantur migrare de subjecto in subjectum: odor siquidem è pomo citrino ad nares nostras interdum longius semotas defertur, quod itidem ultimam hujus definitionis partem infringit. Qui latiorē pronunciant, inter alia objiciunt, quòd forma materialis hoc modo sit accidens, siquidem illa revera est in corpore, nec est pars corporis, nec potest saltem naturaliter sine corpore existere. Huc accedit quòd quando corpus dicitur esse in loco, Totum in partibus, ignis in aliquo corpore, ijs omnibus

bus

bus conditiones τῷ εἶναι ἐν ὑποκειμένῳ accommodari posse videntur.

XXV.

Quæ etiam multos moverunt, ut hac in doctrinâ Aristotelem deseruerint. Hinc B. Sthalius & alij secundam conditionem extendendam esse putant, ita scilicet, *ut aliquid non sit pars illius in quo est, nec cum eo subjectum constituat.* Hoc quidem pacto forma materialis facta tecta conservatur, quò minus in accidentium censum eam referre cogamur, sed nonnullis hoc ipso limites bonorum interpretam transilire videntur,

XXVI.

Verùm enim verò ut omnibus illis difficultatibus satisfiat, singula verba expendenda veniunt. Omnium autem primò observanda est vox ὑπάρχειν, de quâ Aristoteles I. Prior. c. 36. sec. Pac. docet, quòd tot modis accipiatur ὑπάρχειν καὶ μὴ ὑπάρχειν, ὅσαι ὡς τὸ εἶναι λέγεται, καὶ τὸ ἀληθὲς εἰπεῖν, quot modis verbum esse accipitur, & aliquid verè dicitur, & cap. seq. conjungit τὸ ὑπάρχειν τῷδε τῷδε καὶ τὸ ἀληθεύειν τῷδε κατὰ τῷδε hoc huic inhærere, & alterum de altero verè dici. Ex quibus pronum ex colligere, illa Aristoteli dici ὑπάρχειν, quæ verè affirmari possunt de ijs, quibus inesse dicuntur. Jam quia corpus non dicitur ὑπάρχειν loco aut tempore, quamvis dicatur esse in loco aut tempore, hinc quoque sequitur corpus non esse è numero τῶν ὄντων ἐν ὑποκειμένῳ. Pari ratione ignis noster culinaris etiamsi in alio corpore existit, cui tanquam fulcro innititur, & quo ceu alimento vescitur, tamen propterea ipsi nondum ὑπάρχει, & per consequens non potest dici esse in corpore tanquam in subjecto.

XXVII.

Deinde non sine causâ dicitur ὑπάρχειν ἐν πινι, non ἐν

B 2

πινι,

$\pi\sigma\alpha$, ut indigitetur, id in quo est accidens debere esse u-
 num quid. Quo ipso cadit illa obiectio, quâ Totum di-
 citur esse in partibus. Totum enim non est $\epsilon\upsilon\ \pi\upsilon$ & per
 conseq. huc non spectat. Deinde illud π h. l. denotat sub-
 jectum certum, & à certâ formâ sive specie determinatum,
 quod digitis quasi monstrari potest. Ita illam vocem esse
 accipiendam indicio est cap. XIII. lib. VII. Metaph. ubi
 $\upsilon\ \pi\omicron\kappa\epsilon\iota\mu\epsilon\nu\omicron\nu$ id quod alteri subjicitur duplex ab Aristotele
 constituitur: vel enim subjicitur alteri, ut materia actui,
 vel $\omega\varsigma\ \tau\omicron\delta\epsilon\ \pi\iota\ \delta\upsilon$, ut hoc aliquid existens, ut animal passio-
 nibus. Quam posteriorem significationem huc specta-
 re facile liquet. Atque ex hisce solvi potest illa obiectio
 de formâ materiali, quam quidam nodum Gordium esse
 existimant. — Nam etiamsi forma suo modo sit in materiâ
 ut in subjecto, tamen non est in subjecto tali, quale hîc
 requiritur. Materia enim ut sic non est π , quippe quæ est
 $\acute{\alpha}\lambda\omicron\epsilon\iota\varsigma$ \textcircled{S} .

XXIIX.

Sed hîc quoddam surgit dubium, quòd disciplina
 & scientia animæ nostræ inesse dicatur. Nostra autem
 anima non est $\tau\omicron\ \delta\epsilon\ \pi$, cùm in rebus corporeis nihil tale
 sit sine materiâ. Sed hanc difficultatem superari posse
 existimamus, si benè distinxerimus inter subjectum *QUO*,
 quo mediante res aliqua possidetur, & inter subjectum
QUOD & adæquatum, quod adæquatè rem possidet. Il-
 lud quidem est anima, siquidem illi immediatè inest scien-
 tia: hoc verò est totus homo, qui sciens propterea ap-
 pellatur. Quando verò dicitur subjectum illud, cui inest
 accidens, debere esse $\tau\omicron\ \delta\epsilon\ \pi$, de subjecto *QUOD* est in-
 telligendum.

XXIX.

Tertiò dicitur, quicquid alteri tanquam subjecto inesse
 dici-

dicitur, non debere inesse *ὡς μέρος* ut partem. Pars autem
 uti patet ex cap. 25. lib. V. Metaph. quadrifariam sumitur
 1. *ὡς μέρος καὶ κρείως* pro parte integrante quanti, in quam
 quantum quovis modo dividitur, sive totum metiatur,
 sive minus. 2. ea, in quæ forma sine quantitate dividitur,
 dicuntur etiam partes, quomodo facultates animæ apud
 Philosophum partes audiunt. 3. dantur partes essentia-
 les physicæ, ut materia & forma substantiæ sensibilis.
 4. accipitur de partibus essentialibus Metaphysicis, quæ
 aliàs appellantur quidditivæ, & sunt genus & differentia.
 Quamvis autem hæ tres posteriores acceptiones impro-
 priæ videantur, habent tamen talia quæ ita accipiuntur,
 sese ad modum partium. Quicquid itaque uno horum
 modorum alteri inesse dicitur, eo ipso alteri non inest *ὡς*
ὑποκειμένω. Quæ est interpretatio Job. Philoponi com-
 ment. in lib. II. de Anim. citante Clar.^{mo} Dn. M. Zeidlero
 in Disputatione posteriori de definitione ejus, quod in
 subjecto dicitur esse §. IV.

XXX.

Ex quibus illud colligitur, nequaquam limites inter-
 preti præscriptos transire, quicumque hanc ob rationem
 formam materialem è numero *τῶν ὄντων ἐν ὑποκειμένω* ex-
 cludunt. Etenim quamvis forma non sit in materiâ, ut
 pars ejus integrans quantitativa, est tamen pars substan-
 tiæ compositæ, quam cum materiâ constituit, & proinde
τὴν ἑστίαν ὑλῆς συμπληροῖ.

XXXI.

Quartò etiam requiritur, ut illud, quod in subjecto dici-
 tur esse, non possit esse sine eo, in quo est, id est, non possit se-
 orsim sine subjecto, à quo sustentatur, existere & con-
 sistere. Ex re verò erit notare, non dici, ea quæ in sub-
 jecto sunt, non posse *χωρισθῆναι* separata esse ab iis, in quibus sunt.



sed ἀδύνατον χωρὶς αὐτοῦ τῷ ἐν αὐτῷ ἔσθαι, non posse esse sine eo, in quo sunt. Nam si ea separari dicas secundum communem loquendi morem, quæ desinunt esse in aliquo subjecto, tunc utique accidentia separari posse subjecto, salvo manente nemo erit, qui inficias iverit. Nec hæc est mens definitionis illius. Sed tantum innuit, accidens saltem naturaliter non posse seorsim sine subjecto sustentante existere. An verò per omnipotentiam divinam illam sustentationem aliunde suppletem, problema esto.

XXXII.

Non itaque est, quòd aliquis nobis accidentia separabilia objicere velit. Etsi enim quædam accidentia separari possunt à subjecto: nullum tamen eorum separatim potest existere, sed simul ac à subjecto disgregatur, ejus natura quoque deletur.

XXXIII.

Et hoc ipsum quoque corpori obstat, quò minus possit dici accidens loci. Accidens enim ad subsistentiam suam alio necessario tanquam fulcro indiget: corpus autem ut sic ad subsistentiam suam non indiget loco; nam cælum secundum extimam superficiem non est in loco.

XXXIV.

Sed adhuc restat quædam difficultas. Nam posset aliquis ita argumentari: Si accidens migrat de subjecto in subjectum, sequitur accidens aliquando à subjecto separatum posse existere. Dari autem talem transitum accidentis de subjecto in subjectum ipsa experientia confirmare videtur. Ita odor pomi è pomo exit, & ad nostras defertur nares, ubi sanè mutari videtur subjectum.

XXXV.

Qui atomos statuunt, negarent subjectum mutari, sed cum illis corporeis ramentis & atomis odorem illum
pro-

propagari. Et verò experientia testis est, cum odore quas-
dam ἀραγυμάου exhalare, & ad nares nostras deferri: cur
enim aliàs poma citrina sæpiùs contacta, ita brevi contra-
herentur, & rugas acciperent? Quà responsione citante
Toleto comment. in cap. III. Categ. hoc dubiũ solvit *Simplicius*.
At id ipsum non semper obtingere alia odoratissima, ut mo-
schus &c. declarant, quæ gratum de se spargunt odorem
sine sui detrimento, quod vix fieret, si per expirationem
fumales evaporationes extraherentur.

XXXVI.

Sed nihil illa nobis fraudi sunt. Neque enim propter
ea accidens migrat de subiecto in subiectum. Non enim
idem numero odor, qui antea erat in pomo, è pomo egre-
ditur, & per aërem diffunditur: sed manet idem numero
odor in pomo, & similem solùm specie in aëre odorem
producit, qui deinceps ad nares nostras defertur.

XXXVII.

Et sic profligata sunt illa, quæ illi definitioni objici
solent. Quibus ita discussis statim colophonem impone-
re possemus, nisi negotium adhuc facesseret *CREATIO*,
quæ utique ex plurimorum sententiâ est accidens, & ta-
men non est in subiecto, sed terminatur ad subiectum.
Utrum itaque cum *Becano* asseremus, illam non esse acci-
dens, sed actionem substantialem? an dicemus Deum pro
suâ omnipotentia illam ἰναρξίη alio quopiam supplevisse?
Sed hîc ἐπίχου malumus, quàm in re tam dubiâ quicquam
determinare, cùm quæ sit natura creationis, nondum
sufficenter explicatum videatur, nec forsan explicari
in hac imbecillitate possit. Hæc itaque doctioribus po-
tius discutienda relinquimus.

XXXVIII.

Nondum itaque adduci possumus, ut sententiæ Ari-
stotelicæ

Stotelicæ nuncium mittamus, fed omninò adhuc afferimus naturam accidentis ἐν ὑπάρξει ἐν ὑποκειμένῳ consistere, unde hæc definitio Accidentis emergit, *Accidens est Ens, quod est in alio tanquam in subjecto.*

XXXIX.

Ita se habet accidens prædicamentale, quod maximè differt à prædicabili. Etenim 1. Accidens prædicabile consideratur ratione τῆς κατηγορητικῆς sive prædicationis, prædicamentale verò ratione τῆς εἶναι v.g. cum quæritur de essentiâ virtutis, omninò dicendum, quòd sit accidens, puta prædicamentale. Cùm verò quæritur de modo prædicationis ejusdem, quomodo prædicetur de justitiâ aut fortitudine, nequaquam responderi potest, quòd prædicetur ut accidens, sed ut genus. 2. Prædicabile accidens reliquis quatuor prædicabilibus, prædicamentale verò substantiæ opponitur. Hinc 3. efficitur, ut accidens prædicamentale non semper prædicetur ut accidens prædicabile, e. g. quando color, qui est accidens prædicamentale, prædicatur de albedine vel nigredine, non prædicatur ut accidens, sed ut genus. Contra verò argentum quod est substantia ratione essentiæ suæ, cùm prædicatur de scypho aut annulo, veluti scyphus est argenteus, annulus est argenteus, non prædicatur velut genus, velut species, vel differentia, vel proprium, id quod facile videt, qui prædicabilium naturam intelligit, sed ut accidens prædicabile. Et tantum de Accidente, non quidem pro rei dignitate, sed pro ingenij tenuitate dixisse sufficiat.

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

I.

Si inherentia in subjecto est de naturâ accidentis, quid fiet Transsubstantiatione Pontificiorum? Cum enim in S. S. Eucharistia post consecrationem deprehendamus vera accidentia panis, odorem, saporem, figuram, quæ subjectum suum retinere debent, vel ex hoc dogma illud absurditatis convinci potest.

II.

Ut Pontificij statuunt inherentiam actua- lem non esse de essentia accidentis, dogma Transsubstantiationis illos cogit, quo etiam communi- ter solent confugere alijs rationibus destituti.

III.

Datur etiam singularium scientia.

IV.

Ethicam simul esse scientiam & pruden- tiam absurdum non est.

V.

Quatuor principia actionum humanarum nempe spontaneum, Electionem, Consultationem & Voluntatem, & nec plura nec pauciora dari, ex ipsâ humanarum actionum naturâ probari potest.

C

Qua-

VI.

Queritur quid de communi illo effato sit sentiendum, Ex duobus malis est eligendum illud, quod minus malum est? Si sermo sit de malis tristibus, locum invenit: sin de turpibus, non solum Christianismo sed & juri natura planè repugnat.

VII.

Planè non licet virgini violentas manus sibi inferre, ut stupratoris manus effugiat.

IIIX.

Viro forti utiq; licet in certo casu timere mortem.

IX.

Αυτοφονία & Sacris literis & recta rationi adversatur.

X.

Mendacium quod officiosum appellare solent, veram mendacij rationem habere non videtur.

SOLI DEO GLORIA.





Ad Præstantissimum & Eximium
DN. RESPONDENTEM,
Scazontes

AMice chare, charum Apollini pectus
Quid nuper ortum consilii tuæ menti?
Tuum viris ut obderes latus doctis,
Quæque ingenii sit lima acuta tentares:
Ut nempe miles non adorea dignus,
Qui forte novit horrida arma versare,
Sed eminusque cominusque pugnare
Nunquam audet, semper at piger domi stertit.
Sic parvum honoris ex choro Medusæo
Expectat illos, qui sibi placent solis,
Fucorum inertium domi sedent instar,
Nec scire curant Porticus Lyceumque
Quæ tradit, aut antiquitas monet sacra.
Ast usque mens alia Tibi fuit: Tiran
Nequaquam inutili ex luto tuum fecit
Cor. Artibus studere, pectus ornare
Scientiâ rerum tibi unice curæ est.
Tractare simplicis negotium veri
Tibi ardet usque mens, & ad gravem libram
Examini gaudes vocare quod turba
Opinionum inauspicata summittit.

Maeste

Maeste ergò tali mente, chare Respondens!
Haud ominor vanè, audies decus quondam
Insignis urbis, quam alluit Travi flumen.

*Sinceri affectus & amoris
testandi ergo*

f.

CONRADUS TRUMPHIUS
Opt. art. Mag.

Fætum hunc, hendecasyllabi, novellum,
Mirandum, hendecasyllabi, novellum,
Sed bellum, hendecasyllabi tenellum,
Qui natura vocatur accidentis,
Bengelstorffius edidit; politæ
Sectator Sophiesque, ter triumque
Cultor perpetuus puellularum:
Doctam cætera disputationem
Pulcram cætera febricationem.

*Sic Pomana suos, ita Ops colonos,
Sic cultus beat hortus hortulanos;
Ut te suavidulæ tuæ sorores,
Ut te palliduli tui labores.
Hoc tu maeste animo, hoc labore maeste!
Hinc gratis tibi lilieta Nymphis,
Hinc nardo venient suaviores,
Fructus necltare delictiores,
Fructus, hendecasyllabis novelli.*

Johann. Frider. Pöpping Lub.

F I N I S.

99 A 6919

ULB Halle 3
002 631 202




Gl.

Retro. ✓


VD17





DISP
7





18.

THESES PHILOSOPHICÆ
DE
NATURA ACCI-
DENTIS,

Quas

D. T. O. M. A.

Consensu Amplissima Facultatis Philosophicæ

PRÆSIDE

M. CONRADO TRUMPHIO

Goslariense

IN ILLUSTR. ACADEMIA JULIA

publicè examinandam proponit

HENRICUS Bengelstorff /

Lubecensis

In Julei majori auditorio

die III. Septemb.

ANNO reparatæ Salutis clæ Ioc LIX.



HELMESTADII,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO

Excuderunt MARTINUS Vogel & JOHAN GEORG Täger.

